DISPUTATIO INAUGURALIS DE EPILEPSIA

Quam

D. O. M. A.

In Electorali Academiâ Francofurtanâ

Ex

Amplissimæ Facultatis Medicæ

Decreto

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Excellentissimi & Clarissimi

DN. SAMUELIS SCARLACHII

PHIL. ET MED. D. P. P.

DECANI

Promotoris atq; Præceptoris sui æternùm colendi

Pro summis in Arte Med. Privilegiis,

& Honoribus Doctoralibus obtinendis

PUBLICÆ censuræ submittit

WENCESLAUS SCHULTZ

Lubenens. SiL.

In Auditorio Majori

Horis matutinis & pomeridianis

d. 30. Octobr.

ANNO

M. DC. XXXIV.

Exscripta typis

MICHAELIS KOCHII.

THESIS I.

CUm Epilepsia varium & portentosum morbi genus sit, teste Arethæo *lib. 1. d. caus. & not. c. 4.*, quo vel nullum frequentius, vel symptomatum sævitiâ magis funestum, aut in accessionibus terribilius; ideò libuit nobis de ejus essentia & curatione præsentem hanc συζήτησιν instituere.

II.

Epilepsiæ autem vox origine Græca est ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, quod invadere seu prehendere significat, deducta, quod divinissimam hominis partem mentem & sensus prehendat. Latinis ab ægrorum lapsu Caducus, vulgò Comitialis, veteribus morbus Sacer, Germanis die fallende Sucht/ Schwere Gebrechen/ oder böse Kranckheit/ indigitari solet.

III.

Theophr. Paracelsus *libr. 1. de orig. morb. c. 6.* hunc affectum peculiari nomine morbum Viridellum seu Vitriolatum appellat, vel quod omnes Vitrioli proprietates, tincturas atque symptomata in se inclusa contineat, vel quod præcipua ejus curatio in spiritu Vitrioli viridi posita sit.

IV.

Et Hermetici ex eodem authore *3. §. 1. d. morb. caduc.* & Petr. Severino *Idea fol. 315.* Epilepsiam definiunt morbum Astralem seu spiritualem, à vapore mercuriali vitriolato & venenato genitum, quo homo mente sensuque privatur.

V.

Equidem morbum hunc astralem esse patet, tùm ex materia ejus subtilissimâ, & generationis processu, qui merè spiritualis existit, (ut fusius id Paracelsistæ explicant) tùm ex certorum astrorum occasu, exortu sive aspectu notabili, in quibus homines plerunque invadit. *Petraus in Nos. harmon. disp. 6. de Epileps. th. 19.*

VI.

Nec inter se pugnant, quod Paracelsus alibi aliter loquatur, & Caducum inter morborum Mercurialium & Salinorum numerum referat. Nam ea omnia etiam ipsius naturæ favore & patrocinio admittuntur: Mercurialem nempe esse ostendunt primò subjectum cui inhæret, deinde causa materialis, nec nõ ipsa curatio. Salinus dicitur ob istã

Mercurij microcosmici sublimationem, quæ sine salibus peragi non potest.

VII.

Sed rectius Epilepsia definitur, quod sit convulsio universi corporis interpolata, cum mentis sensuumque læsione, *Gal. lib. 3. d. loc. affect. c. 5. & 7. & l. 4. c. 7. necnon comment. 6. in 6. epid. c. 7.* à vapore acri & peculiariter maligno, expultricem Facultatem in membranulis cerebri vehementer irritante, proveniens. *juxta Sennert. libr. 1. Med. pract. part. 2. cap. 31. Plater. de Epil. & alios.*

VIII.

Per genus innuimus primò, quod sit symptoma actionis animalis læsæ, non quidem unius tantùm, sed omnium in universum; Nam in hoc malo omnium facultatum, tàm sensitivarum, quam ipsius mentis seu intellectûs actiones omnes aboleri vel imminui, liquidò constat.

IX.

Et si autem motum non tolli, sed depravari, extra dubium sit; tamen num ab animali, num verò à facultate naturali id fiat, ut ægri ita concutiantur, Com. Montanus & Erastus hîc acriter disputant. Sed sciendũ est, idem in Epilepsiâ evenire posse, quod aliàs in sternutatione fieri animadvertimus, nimirum ut motus quidem à facultate expultricè initium sumat, verum postmodùm ab animali statim perficiatur.

X.

Secundò diximus hanc convulsionem non esse perpetuam; inde enim à vero spasmo, qui musculorum ad principia contractio pertinax & continua est, quam optimè distingui potest, *juxtà Mercurial. lib. 2. d. morb. puer. c. 2.*

XI.

Ex quibus satis constat, partem affectam cerebrum esse. Etenim cum id solùm omnium actionum animalium veluti fons sit primumve principium, fieri nequit, ut hoc non affecto illæ actiones vel aboleri, vel intercipi, vel depravari possint.

XII.

Verum num totum cerebrum, an verò tantùm ejus pars aliqua patiatur? non ita planum est: Galenus ipse sibi hac in re non constat, dum mox anteriores, *lib. 3. d. loc. affect. cap. 7. & l. d. sympt. differ.*

c. 3.

c. 3. & 1. d. cauf. morb. c. 8. mox posteriores ventriculos *l. 4. d. loc. aff. c. 2. & epidem. 6. aph. penult.* affici ſcribit. Nos probabilius exiſtimamus univerſam cerebri ſubſtantiam, quatenus ob membranas, quibus includitur, ſenſu prædita eſt, à materiâ illâ tenui vel vaporosâ vellicari *juxtà Sennert. alleg. loc. in controv. quaſt. 4.*

XIII.

Commentum itaque eſt, quod Quercetanus *in tetrad. c. 8.* in quibuſdam Epilepſiis non cerebrum, ſed cor voluerit primariò affici. Nam miſſis cæteris vel ex eo, quod ipſemet curationem primariò non ad cor ſed ad cerebrum dirigat, falſitas hujus opinionis elucеſcit.

XIV.

Cauſæ Elepſiæ vel ſunt propinquæ, vel remotæ. Proxima & immediata eſt materia tenuis & vaporoſa, ſeu ut Pelops Galeni præceptor eam nominabat, πνευματικὴ τὶς ὀσία ὥσπερ ἀυρα, quæ acrimoniâ ſuâ vel qualitate maligna, cerebrum vellicando & moleſtando, ejus ſenſibiles partes ad expulſionem rei noxiæ ſtimulat. *Philoth. Elianus tract. 17. Archipathol. Avicenna l. 3. Fen. 1. doctr. 5. c. 8. nec non Author de flat. Eraſtus diſp. med. 12. &c.*

XV.

Paracelſus eandem fermè hujus mali cauſam agnovit, & hanc eſſe vaporem mercurialem & vitriolatum, ſive odorem venenatum, mordicativum, inebriativum & ſtupefactivum, multis in locis tradidit *teſt. Levin. Batto diſp. de Epilepſ. theſ. 8. & 9.*

XVI.

Unde Galeno, & illis qui Epilepſiam ab humore craſſo frigido, pituitoſo ſeu melancholico ventriculos cerebri obſtruente fieri dicunt, non poſſumus aſſentiri. Cùm tàm ſubita paroxyſmi invaſio & ſolutio, ab hujuſmodi craſſo humore eſſe nequeat; nec quiſpiam Anatomicorum ullum ejus obſtructionis veſtigium in Epilepticorum cadaveribus ſectis unquàm deprehendere potuerit; *ut teſtatur Volcherus Coiter in lib. obſerv. anatom. & chirurg. & Eraſtus part. 4. diſput. contra Paracelſ.*

XVII.

Sed quomodo ab illo vapore tàm ſubita omnium functionum cerebri ceſſatio fieri poſſit, ulteriori inquiſitione indiget. Platerus

eam ob effusionem spirituum animalium in initia nervorum; Heurnicus ob conniventiam sinuum cerebri, Petræus *alleg. loc.* ob ejus coarctationem & constrictionem fieri existimant: Quidam neotericorum, quod spiritus animales in anterioribus & posterioribus cerebri ventriculis tâm subitò divellantur.

XVIII.

Nos his opinionibus relictis, Sennerti sententiam sequimur, & actiones animales statuimus ob spirituum perturbationem ita turbari, eò quod illi sese non rectè habentes, nec actionibus obeundis debito modo inservire queant. *Sennert. suprà alleg. loc.*

XIX.

Causæ antecedentes sunt illa omnia, quæcunque materiam acrem, malignam cerebroque adversam suppeditare possunt; cujusmodi sunt sanguis, bilis, pituita, melancholia, sanies, semen, secundina corrupta, fœtus mortuus, vermes & similia, quando à naturali suo statu recessère.

XX.

Fernelius quoque in nonnullis Epilepticorum cadaveribus dissectis interdum cerebri abscessum, interdum corruptam meningis portionem calvæ adhærentem Epilepsiæ causam fuisse deprehendit, ex quibus nempe locis tetri vapores in substantiam cerebri penetraverant: *l. 5. patholog. c. 3.* quod ipsum etiam observavit Vidus Vidius. *l. 2. de curat. morb. partic. c.* 18. Forestus *in schol. ad observat.* 67. *lib.* 10. & Valescus de Tarant. *in suo philon. c. de Epil.*

XXI.

Nonnunquam accedit & hæreditaria quædam dispositio, quæ liberis vel cum ipso parentum Epilepticorum semine implantatur, *juxta Sennert. d. l.* vel ab inquinamētis uteri sanguinisq; materni innascitur, vel à nutrice valetudinariâ, epilepticâ, vel melancholicâ cum lacte instillari potest. *Sec. Angel. Salam in tern. Bezoard. c.* 15.

XXII.

Astrologi infaustum astrorum positum addunt, & eos qui oriuntur, seu concipiuntur in interluniis, quando in coitu sive congressu est Luna cum Sole sine lumine, epilepticos fieri statuunt. *vide Serenum Med. in lib. d. Medic.*

Quan-

XXIII.

Quandoque etiam contagium locum causæ obtinet, de quo etsi Fernelium aliter sentire *libr. 2. de abditis rerum caus. cap. 11.* nos non lateat, tamen experientiâ edocti, & imprimis pueri illius, cujus Bertinus in suâ Medicin. *l. 11. c. 3.* meminit, qui cum integrè sanus ex eodem cyatho, ex quo prius æger Epilepsiâ laborans, haustum sumpserat, bibisset, protinus quoque hujus morbi contagione correptus fuit, opinamur id non absurdum esse.

XXIV.

Remotiores causæ & procatarcticæ sunt, aer vernus, ventus meridionalis, calor solis, radij Lunæ, fames atque inedia, comestio ciborum putridorum & venenatorum, ut anguillarum, hepatis, & carnis hircinæ, frequens esus coturnicum, passerum, apij, terræ tuberum, nimia lactis ingurgitatio, crapula, potus vini vaporosi, nimia Venus, olfactus rerum fætidarum, bituminis, gagatis, cornuum caprorum, cervorum, sulphuris, mercurij sublimati, aquarum fortium, vapor aquæ calentis, ægritudines animi, terror, ira ardens, nimia animi intentio, titillatio, capitis percussio, casus, morsus vel ictus bestiarum venenosarum & alia multa, *de quibus vide Untzerum libr. 1. d. Epileps. c. 15. & 16.*

XXV.

Differentias porrò quod attinet I. Epilepsia alia est idiopathica, cujus minera continetur in cerebro, alia per consensum orta, & vel totius, vel certæ alicujus partis, ut uteri, ventriculi, lienis, vesicæ, intestinorum, aut etiam membrorum externorum. *Ex Galen. 3. d. loc. aff. c. 7. Paulo l. 9. c. 13. Trallian. lib. 1. c. 15.*

II. Alia est vehementior, alia mitior, *juxta Erastum part. 4. disp. contr. Paracels.*

III. Alia inordinata, quæ nullam periodum certam observat, alia ordinata, quæ statis temporibus ægros invadit. Quibus alij accensent hæreditariam à parentibus in liberos propagatam, ut supra dictum, & adventitiam, quæ genitis post nativitatem aliunde accedit.

XXVI.

Signorum duo sunt genera; Diagnosis & Prognosis. Signa, Diagnostica, quæ imminentem vel instantem paroxysmum arguunt, sunt dolor capitis, oblivio, somnus inquietus oculorum tenebræ, vertigo,

vertigo, languor corporis, venarum sub linguâ flavedo, viriditas & id genus alia.

XXVII.

Quæ præsentem Epilepsiam demonstrant, ea Lucretius *lib.* 3. eleganter his versibus complexus est, dum ita canit:

Quinetiam subitò vi morbi sæpè coactus
Concidit, & spumas agit, ingemit & tremit artus,
Desipit, extentat nervos torquetur, anhelat
Inconstanter, & in jactando membra fatigat;
Nimirum quia vis morbi distracta per artus
Turbat, agens animam, spumanti ut in æquore salso
Ventorum validis fervescunt viribus undæ.

XXVIII.

Signa Prognostica authores præscribunt varia, ex quibus nos ea, quæ ex Hippocrate desumpta extant, delibabimus.

I. Ex illis, qui à sacro morbo corripiuntur, difficilimè ij liberantur, quibus à puero contigit morbus: Deinde quibus in juventute fuerit ortus: Post hos in quibus nullum apparet indicium, ex qua parte ortum ducat: In quibus autem pars, quæ morbi fomes est, cognoscitur, si ex capite oriatur, difficilius curantur, facilius si à manibus aut pedibus, medio autem modo si à latere. *lib.* 2 *prædict.*

XXIX.

II. Epilepsia in pueris est morbus acutissimus, & plerunque exitialis; *in libr. d. sacr. morb.*

III. Pueri qui semel ab Epilepsia sunt curati, non amplius eâ tentantur, si aliquam partem ab hoc morbo depravatam habeant. *Hippocr. d. l.*

XXX.

IV. Magis ad hunc morbum propensi qui pituitosi sunt, aut melancholici, huic autem proximi, qui sunt vertiginosi. 6. *Epidem.*

V. Ut verno tempore plerunque hic morbus irruit, ita eo tempore solet esse periculosior, *ex lib.* 3. *aphor.* 20.

XXXI.

VI. Comitiales morbi, quibus ante pubertatem eveniunt, curationem recipiunt, at quibus eveniunt post annum vicesimumquintum, plerunque commoriuntur, 5. *aphor.* 7.

Juve-

VII. Juvenibus Epilepsiâ laborantibus cum ætatis mutatio, tum loci & victus ratio finem morbi adferunt. 2. *aphor.* 45.

XXXII.

Levinus Battus *suprà alleg. loc.* ex Theophrasto hoc prognosticon addit: Si Epileptici invasionis initium præsentiant, non sanantur, aut omninò difficulter: At qui omninò nihil præsentiunt, illi curabiles habentur. Quod in Epilepsia non per consensum, sed per essentiam exortâ fortassis locum habere potest.

XXXIII.

Atque hæc de Epilepsiæ naturâ & essentiâ dicta sunto: Consequens nunc est, ut ad curationem accingamur, quæ duabus præcipuè indicationibus dirigitur, paroxysmi nimirùm præsentis amolitione & novi seu futuri inhibitione.

XXXIV.

Instante Paroxysmo, ut is diminuatur aut avertatur, quamprimum æger ejusdem signa præsenserit, ilicò sese munire debet decocto foliorum rutæ, vel sumere guttas aliquot, iij vel iiij olei buxi in aq. flor. pæon. vel pillul. j laudan. opiat. cujus partibus quatuor una ol. camph. sit admista, vel essentiæ castor. gutt. iij vel v. in aq. flor. tiliæ, vel ol. succ. alb. gutt. j vel ij in aq. Epilept. Langij, *de quibus vide Sennert. in Med. pract. l. alleg.*

XXXV.

In ipso autem paroxysmo curatio ab externis præsidiis erit inchoanda, & primò omnium os immisso cuneo diducendum; atque interjecto aliquo ligno, ut visci querni, vel cochleari, vel alio instrumento succo rutæ illito apertum servandum. Quod si verò convulsio mandibularum sit fortior, sacculo ex corio vel crassiori linteo, rutâ, sinapi, pyrethro, castoreo, & similibus referto, ac dentibus interposito id fieri præstat.

XXXVI.

Ore distento, si causa morbi iis in locis hæreat, è quibus per vomitum facilè excludi possit, is pennâ ol. irino cum gr. iiij flor. Antimon. mixto intinctâ & per fauces leniter demissâ proritari potest; Quippe ab eo accessionem epilepticam solvi, sæpè compertum esse testatur, *Fonseca tom. 1. consult. Med. 15. p. mihi 121.*

XXXVII.

Si frictiones & ligaturæ extremorum instituantur, quarum usum hic contra Erastum (*disp. contra Paracelf.*) valdè commendamus, notetur quod debeant esse: 1. Validæ ac dolorificæ. 2. Fieri in loco convenienti, verbi gratiâ in cruribus, vel pedibus, si Epilepsia per consensum sit partium inferiorum; 3. sæpè laxari, iterumq; constringi, donec omnis halituosa materia sit discussa.

XXXVIII.

Naribus adhibemus rutam, & vel ejus balsamum vel ol. vel succũ verb. gr. Rec. succ. rut. unc. sem. castor. opt. drachm. j. M. & intromitte in nares. Apollonius commendat thymum, & eo naribus imposito, si æger surrexerit, eum ab Epilepsiâ sanari, sin minus non sanari, potius fabuloso, quàm vero experimento tradit.

XXXIX.

Lingua & palatum illinenda sunt theriacâ, mithridatio, castoreo in aq. hirund. rutæ, & lilior. convall. solutis; aut ol. stillatit. castor, salv. rosmarin. essent. liquidâ succini. Quibus oleis alii etiam aures, verticem, suturam coronalem, & tempora inungunt.

XL.

Accessione perseverante nonnulli clysterem acriorem infundunt, vel glandem ex agarico, sale gemm. hierâ & melle immittunt: Alii ad ptarmica, (quorum usum nec nos damnamus) devenientes sternutatorium ex helleb. alb. drachm. j. castor, euphorb. an. drachm. sem. pulverisat. præscribunt.

XLI.

De periaptis sive amuletis paulò infra sumus dicturi; Hîc tantùm ex illis, quæ intus exhibenda sunt, quædam delibabimus, Cujusmodi sunt, medicamenta ea omnia quæ peculiari qualitate Epilepsiæ causam dissipant & discutiunt: ut sunt Aqua Picarum vel hirund. pulvis majoranæ ad scrupul. j. in convenienti liquore exhibitus, Spina dorsi mustelæ fluviatilis novilunij tempore detracta, & in tenuissimum pollinem redacta, quæ ad scrup. ij. cum aq. pœon. sumta non modò ægros ab ipsâ accessione liberat, sed etiam extra accessionem singulo plenilunio data morbum hunc curat, *testante Hartmanno in praxi Chymiatr.*

Chymici

XLII.

Chymici valdè extollunt ol perlar. ſpir. vitriol. eſſentiam campher. (Camphorata tamen ob imbecillum caput & ventriculum Cratoni valdè ſuſpecta ſunt, *conſil. 28. all. l.*) ſpir. cerebr. human. ol. cran. nepenthes Quercetani, ſi ea omnia in juſtâ doſi & convenienti vehiculo aſſumantur.

XLIII.

Magnes Epilepſiæ & vera Mercurij minera eſt cinnabaris nativa, quæ vel per ſe in pollinem tenuiſſimum trita, & paucorum granor. pondere cum magiſt. corallor. & perlar. in aq. ſalv. exhibita vel chymicâ arte in magiſterium redacta tantarum perhibetur eſſe virium, ut miraculi inſtar paroxyſmum hujus morbi elidat; Nec non ſecreti loco habetur tinctura vera Corallor., ſi ad ſcr. j vel drachm ſem. cum aquâ pœon. vel ſimili adminiſtretur. Pulvis quoque ex iiſdem & ſimilibus præparatus Dn. D. Weidneri p. t. Rectoris Magnifici eximii eſt uſus, à Scrup. j. ad drachm. j. cum vehiculo conveniente exhibitus: Rec. Cinnabar. nativ. Hungar. veræ drachm. ij. C. C. philoſophicè per vaporem aq. præparat. Granor. pœon. excort. cranij hum. philoſophicè præpar. an. drachm. j. Fraxinell ſive Diptamn. alb. Rad. pœon. flore alb. juſto tempore collect. Viſci quern. Carabes Ungul. alcis philoſophicè præparat. an. drachm. ſem. Marg. præpar. Corall. rub. præpar. an Scrup. j. Miſce F. pulvis tenuiſs. addendo ol. nuc. moſch. deſtillat. Macis, majoran. an. g. iiij M. F. pulvis. Eidem in uſu eſt aq. Antepileptica Anhaltina Therebinthinata in infantibus præſertim, ac millies probata.

XLIV.

Abſolvimus præſentis paroxyſmi curationem; reſtat jam, ut quibus præſidiis æger à novo paroxyſmo præſervari poſſit, dicamus. Primò autem Phlebotomia occurrit, quæ primis viis expurgatis, extra paroxyſmum, & epilepſiâ per eſſentiam cerebri aut à conſuetâ aliquâ ſanguinis evacuatione ſuppreſsâ exortâ, corpore plethorico exiſtente, nec malo inveterato, viribuſq; permittentibus adminiſtrari debet.

XLV.

Et ſi Epilepſiâ ſit Idiopathica, primò ex venis cubiti, vel Cephalica, vel Baſilica vel Mediana poteſt ſecari; Tandem verò ex cõſilio Arethæi, & Avicennæ vena frontis, aut ſub linguâ pertundi. Sin ab obſtructione menſium vel hæmorrhoidum oriatur, venæ in cruribus, vel ipſæ hæmorrhoides admotis ſanguiſugis aperiantur.

XLVI.

Venarum ſectio ſi commodè fieri nequeat cucurbitulæ ſcapulis, dorſo vel occipiti, aut cruribus, coxis, malleolis, prout Epilepſiæ ſedes eſt, cum ſcarificatione applicatæ vicariam operam præſtant. Parti autem, à quâ aura quædam frigida, ac maligna ad cerebrum elevatur, protinus cucurbita magna cum multa ſcarificatione, quâ materia venenata fortiter extrahatur, imponenda eſt.

XLVII.

Phlebotomiæ ſuccedit vitioſorum humorum expurgatio, qui prout in corpore abundant, prius diligenter ſunt præparandi. In quem uſum Crato decoct. hyſſop. Galenus *in conſ. de puer epilept.* & Trallianus *loc. ſupr. all.* pyrethrum, ſcyllam & ſimilia calida medicamenta incidentia commendant. Verùm niſi corporis conſtitutio adſit frigida & humida, aut cauſa morbifica in ventre inferiori pertinacius hæreat, rectè monet Sennertus, ut ea in reliquis cautius uſurpentur, & ſemper cū præparantibus antepileptica miſceantur.

XLVIII.

De Evacuantibus notentur ſequentia, 1. ut ſint initio leviora, in progreſſu fortiora, 2. ut eorum uſus, monente Eraſto *in diſp. contra Paracelſ.* per intervalla diutius continuetur, 3. ne ad unum (cum unus rarò reperiatur ſolus) ſed ad plures humores dirigantur; de quibus conſulendi ſunt Practici.

XLIX.

Hippocrates & cum eo Medici tàm veteres, quàm recentiores, valdè laudant Helleborum, quod in epilepticis Etzlerus virtute æthereâ pollere exiſtimat, *c. 1. de morb. Satur. Iſag. Phyſ. Mag. Med.* Ex quo Neoterici extracta magiſt. ſyrup. oxymel. &c. parant. Trallianus vel ſolo ſuo Theodoreto ſe multos reſtituiſſe affirmat *l. 1. c. 15.* de quo Ægineta *l. 7. c. 11.* Quercetanus lapidem armenum vel cyaneum præparatum ad ſcrup. j. vel Extr. Elater. ſcrup. ſem. in convenienti liquore exhibita mirificè ſeroſa excrementa è cerebro evocare ſcribit *de Med. vegetab. ſpag. præpar. c. 7. & 9.* Rulandus ſequentem potionem ex aq. flor. til. unc. v. Extr. eſul. ſcrup. ij. colatam, & novem hor. ante prandium epotam ſæpè utilem deprehendit, *vide ejus curat. Empir.*

L.

Ex metallicis in uſu ſunt Chymicis Mercur. vitæ Mercur. dulc.

elect. Antimon. Crollij, ejusdem Alcohol. Conradi, Vitriol. rectif. purgans Ang. Salæ, Aq. Benedict. Rulandi vel ejus aq. terr. sanct. (si rectè descripta extaret) quæ tamen medicamenta omnia nec temerè, nec nisi ritè præparata, & inprimis si Epilepsia per consensum ventriculi, aut vicinarum partium sit orta, adhiberi debent, si non velis, ut è Mercurio vitæ Mercurius mortis fieri debeat.

LI.

Expurgato corpore Hydrotica in subsidium vocari possunt, qualia sunt Decoct. lign. Gvajac. cum aliq. gutt. Spir. Vitriol. si per aliquot hebdomadas jecore non calido existente (tunc enim decoct. Chinæ præstat) usus ejus continuetur, vel Decoct. lign. sassafras. chinæ, sarsæ par. card. bened. &c. Quercetanus specificum aliquod, & appropriatum hydroticon cuivis ætati ac temperamento conveniens describit in pharmacop. Dogmat. c. 8. ut & in Tetrad. c. 19. Cæteri Chymici Spir. Guajac. vel Tartari, flor. alb. Antimon. fixi, Sulphur Antimon. auratum, & id genus alia usurpant.

LII.

Verum nec particulares capitis evacuationes per errhina, & apophlegmatismos sunt omittendæ: Crato pulverem lapidis in vesicâ tauri reperti per nares vel per se vel succ. rut. attractum mirè & specificâ quâdam vi caput expurgare testatur, *consil. 4. l. 1.*

LIII.

Huc & Setacea & cauteria pertinent. Crato *d. l.* cervicem fortissimo lixivio ex cineribus & calce facto exulcerari jubet; Erastus *in quodam consil. puer. epilept.* propè scapulas vesicatorium admovet ruptisq; vesicis aquam, donec sponte desinat, effluere sinit Arculanus hoc vesicatorium capiti abraso apponit. Rec. armon. dissol. cum pingued. anatis unc. ij. ferment. unc. j. sinap. pulv. unc. sem. cantharid. præparat. drachm. sem. pœon. drachm. ij. M. F. Emplastr.

LIV.

Montanus *in consult. 20.* cauteria etiam actualia alterutri brachiorum ad musculum deltoiden, alij si malum magis sit inveteratum, in occipitio seu nuchâ inter 2. & 3. vertebram, alij in commissurâ coronali applicant: Petræus trepano cranium sine noxâ aperiri posse autumat. Quæ duo tamen postrema remedia si non nacta sint peritam artificis manum, non planè omni periculo vacant.

LV.

Insuper autem necesse est, ut cerebro à morbificâ causâ debilitato robur suum restituatur; Id quod Cephalica & antepileptica medicamenta quàm optimè præstare valent, cujus generis multa tàm intus, quàm foris exhibenda apud autores habeatur.

LVI.

Hermetici liquorem Lunæ viridem vel etiam cæruleum ita Cerebrum, ut quasi novum restituat, confortare affirmant, idque Petræus ob anatomiam vivam, quod Luna cerebrum externum, & cerebrum Luna interna sit, fieri non ineptè arbitratur *loc. cit.*

LVII.

Ex Antepilepticis, quæ specificâ vi huic morbo resistunt, & singulis diebus, quibus non exhibentur alia, usurpari possunt, præcipua sunt Cranium suspensi, vel potius ossiculum illud triangulare inter commissuras magn. crucifer. in nonnullis repertum (*Erastus id reperiri negat in disp. contra Paracels. part.* 4.) pulverisatum vel calcinatum: Sanguis mustelæ vel testudinis; epar ranarum viridium, stercus pavonis, fimus ciconiæ, pulvis lumbricorum terrestrium, coagulum leporis, ol. fuliginis, ol. lign. heracl. (id Fonseca ol. lign. buxi, rectius Sennertus ol. corylinum esse dicit) & alia multa, quæ singula recensere nimis longum foret.

LVIII.

His succenturiantur Amuleta, quæ si sint naturalia, licita atq; talia, quæ semper eodem modo in corpora, quibus applicantur, agunt, nō minus suâ occultâ & astrali potentiâ contra hunc morbum pugnant. Nam probabile est, quod Unzerus testatur *c.* 13. à nonnullorum substantiâ vapores quosdam subtilissimos veluti atomos defluere; qui occultè per cutis poros spiritu attracti, morbi causam suâ virtute alterare, corpusq; sensim reficere possunt.

LIX.

Præ cæteris autem in usu sunt unguis alcis, radix pœoniæ maris, vel ejus potiꝰ quæ flore est albo (ut monet Rosa Anglica) justo tempore effossa, Smaragdus verus, (nō qui vulgò pro lapide de Peru emitur) si ea omnia collo & brachiis, ut carnem tangant, alligentur. Præstat quoque amuletum, quod Hartmannus ex virgultis Sambuci crescentis super salicem mense Octobr. paulò ante plenilunium collectis, conficit. *De quo vide praxin ejus chymiatric.* Inter externa magni quoque usus est

ung.

ung. Antepilepticum Libavii ad bregma, frontem & tempora inungenda: *quod descriptum extat in cista Epist. Meditor, Hornungi.*

LX.

His tandem absolutis ad Diætæ ordinationem compellimur, quæ tota ad calidum magis & siccum declinare debet. Aer itaque vitetur austrius & aquilonaris. Fumi aut fuligines à rebus fœtidis, vel à carbonibus accensis caput quâdam proprietate offendunt. Sed & æger ante omnia radios Solis & Lunæ fugiat, qui occultâ vi Epilepsiam excitant.

LXI.

Cibus sit boni succi concoctuq; facilis, non flatuosus, nec crassus, nec qui peculiari qualitate caput feriat, atq; in cœnâ parcior, quàm in prandio. De quibus Unzerum consule *l. 2. de Epilep. c. 5.*

LXII.

Pro potu Crato aq. mulsam cum fol. beton. atque uno & altero salv. & pauculo zinziber. coctam usurpat. Fernel. aq. simpl. in quâ rasura C. C. & exigua pars zinzib. coxerint. Altomarus decoctum Coryandri, quod verò à Petro Salio *in annotat. in libr. Altomar.* cum Coryandrum, teste Dioscoride, suâ naturâ caput petat, rectè rejicitur. A cerevisiâ crassâ & feculentâ, vino generoso & vaporoso (tenue enim quandoq; stomachi gr. conceditur) abstineat.

LXIII.

Exercitationes corporis, si ante cibum ineantur, alvo prius solutâ, æthere sereno & temperato valdè cum Galeno commendamus. Somnus sit moderatus, & nocturnus, nec mox à cibo, neq; cubās in dorso jaceat.

LXIV.

Alvus semper in officio continenda, & si interdum languidior clysmate vel leniente aliquo medicamento primæ viæ expurgandæ. Venus nisi morbus sit à suppresso semine, est nociva; Animi affectus, inprimis ira, terror, mœror, curæ, solicitudines, & omnis animi intentio, quàm longissimè debent arceri.

LXV.

Atque hæc sunt, quæ de horrendo hoc morborum monstro in medium proferre visum fuit: plura si quis scire expetat, eum ad practicorum libros remittimus, & hic pedem figimus.

Problema.

Problema.

AN & quare Ecstatici, Dæmoniaci, Vates, & alij futura prædicentes plerique fuerint Epileptici, aut saltem paroxysmos convulsionibus Epilepticorum similes patiantur? An quod præ cæteris hic morbus peculiare quid, sive θεῖόν τι in se habeat: Et, qui eo etiam inter heroes laborarunt, ut Julius Cæsar & alij, ingeniosiores fuerint, & melancholici?

ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

AN nova opinio Guil. Harvei Angli anatomici & Medici celeberrimi de motu & usu cordis, & circuitu sanguinis in animalib., cujus alicubi Keplerus mẽtionem fecit, & Harveus rationibus, experimentis & ocularibus demonstrationibus eã confirmasse se existimat, aliud præterea fundamentum in aliis disciplinis habeat? Malumus ἐπέχειν.

SOLI DEO GLORIA.

